atque ex legum praescripto muros seu Civitatum moenia sacrosancta et per neminem violanda esse sciamus, futuris periculis quae exinde oriri possent occasionem praecidere ac paci publicae illius Civitatis nostrae consultum iri volentes Gen. et Devotis nostris quorum nobis fides integritas ac in discernendis controversijs non postrema cognitio et Iudicium plurimum extat commendata id negotij committendum duximus uti quidem hisce literis nostris committimus. Mandantes eisdem ut omnes captato consilio certoque ad id loco constituto et tempore vocatis partibus quarum id interest aut interesse deeo toto negotio ex propositione et responsione partium iudicium instituant incommoda et pericula quae exinde Civitati illi inferri possint simulque de titulo vel bona fide dictarum domuncularum possessionem cognoscant quo iure et autoritate per eiusmodi subter muro Civitatis erectionem idem murus civitatis ab ipsis contra antiquam consuetudinem violatus sit iudicent et sententia sua definitiva decidant et determinent. Cui ut partes utraque stent autoritatem suam Commissorialem interponant. Si vero aliqua partium gravata se eadem sententia senserit appellationem ad nos non nisi a definitiva sententia admittant. Unius aut duorum absentia non obstante. Idque pro gratia nostra ac pro eorum erga nos officium debito aliter non facturi

Citatio ratione obiectionis officio consulari coram deputatis S R M. verborum famam laesivorum

Tibi Famato N. Civi N. de omnibus ac singulis bonis tuis mobilibus et immobilibus in et extra Civitatem nostram praedictam N. ac alijs quocunque locorum in Regno et dominijs nostris privatim habitis et possessis necnon de persona tua tanquam in actione personali infrascripta. Mandamus ut coram nobis et Iudicio nostro N. aut ubi tunc cum Curia nostra feliciter constituti fuerimus feria N. post festum Sancti N. nunc instanti proxima ad instantiam Famatorum Proconsulis et Consulum modernorum civitatis nostrae N. peremptorie compareas. Citaris pro eo Quia tu indifferenta sua lingua toties honestatis et iurisiurandi tui oblitus quo tanquam Civis dictis Actoribus illorumque Civitatis nostrae N. officialibus obstrictus es ausus es non ita pridem die N. et N. semel coram certis deputatis nostris Commissarijs quos ad cognitionem causae inter te et ipsos Actores occasione incarcerationis tui deputaveramus Magnificis N. et N. necnon multis hominibus ibidem existentibus verbis iniuriosis ac famam laedentibus eosdem Actores adoriri ac nescitur quae crimina ultra debitum officiorum eorum tam iusiurandum coram nos quasi ab eis commissa obicere et eiusmodi tuis dictis bonam eorum famam et fidem Serenissimis antecessoribus nostris et nobis per ipsos sinceriterque servatam denigrare in dubiumque vocare ac tot crimina et iniurias nescitur quas etiam alienas ad te quae nihil pertinent verbis tuis et assertis verbis magis odio quam

aliqua pietate ductus congerere quemadmodum adortus es objecisti demigrasti et congessisti in grave ipsorum praejudicium ac bonae famae et fidei denigrationem. Quoniam autem tu praemissa omnia pro te, tunc temporis ex quadam charta recitata in Judicio deputatorum nostrorum Commissariorum ipsis Actoribus objecere non dubitasti, eapropter etiam ipsi te ad nos et Judicium nostrum pro praemissis tanquam forum competens citant ad videndum et audiendum se pro praemissis omnibus a te objectis vel objiciendis assertis criminibus legitime ac uti de iure venerit purgari innocentiamque suam declarari, se fideles officiales esse ac in iure suo tanquam bonae famae viros et pleni iuris nequaquam infamatos extitisse ostendi, te ad probationem assertorum objectorum criminum de iuris processu judiciali cogi et compelli et in defectu probationis in poena talionis condemnari vel quod de iure venerit interstatui et nihilominus asserta illa tua verba bonae famae et existimationi ipsorum Actorum nihil nocere posse aut debere dici. Sis itaque pariter praemissa objectiones et probationes ac in defectu eorum poenam dictam legibus circumscriptam a nobis decernendam habiturus. Sive enim comparueris sive non, nos nihilominus tua contumatia non attenta contra te summe processuri et decreturi. Datum etc.

Citio super denunciatorem hostilitatis.

Tibi Generoso etc. Seniteri et ... tanquam Senitori nostro de persona tua bonisque tuis omnibus mobilibus et immobilibus. Mandamus ut coram nobis et Judicio nostro ubi tunc cum Curia nostra faeliciter fuerimus constituti feria etc. post instans proximum ad instantiam ... nostri et Instigatoris nostri ex delatione Magnifici etc. personaliter et peremptorie compareas. Citaris tanquam Senitor et Miles noster pro eo quia tu officii boni Seniteris et militis non attento laedendo superioritatem et ... nostram Regiam quae cum ab omnibus tum vero maxime a Senitoribus nostris pro eo ut par est coli debet interturbando etiam securitatem personae nostrae Regiae ac pacis publicae ausus es non ita pridem praeterito tempore die ... etc. Mensis etc. proxime praeterita chartam quandam hostilitatis denunciatoriam ipsi Magnifico delatori Senatori aliquem et officiali nostro manu tua propria scriptam et sigillo communitam ac coram nobis reproductam et lectam sub poena nostra per Senitorem tuum quendam etc. necnon duos ... et ... mittere in hospitium illius ex qua charta tum etiam verbis Seniteris tui praedicti eidem chartae redditis adiunctis teiuri ... non contentum vi et violenter nobis praesertibus velle iniuriam ne scitur quam suam more vindicare hostili iminasti prout et de facto misisti et vindicaturum teneri declarasti, quemadmodum ea omnia coram nobis allegata et protestata sunt ad quam protestationem se instigator noster in toto refert. Et eo non contentus

409